

Relatio de Statu Archidioecesis Viennensis

Caput I.

Generalia de statu materiali personarum et locorum.

1. Indicet Ordinarius nomen et cognomen suum, aetatem, originis locum, et institutum religiosum, hoc est religionem, si ad aliquam pertineat; quando fuerit consecratus, vel, si Abbas sit, benedictus; quando dioecesis regimen suscepit. Si Episcopum Auxiliarem habeat, an datus sit personae vel dioecesi.

Theodorus Innitzer, Tituli S.Chrysogoni S. R. E. Cardinalis, natus die 25. Decembris 1875 in Weipert, dioecesis Pragensis. Consecratus fuit die 16. Octobris 1932, electus ad sedem archiepiscopalem Viennensem die 19. Septembris suscepit regimen secundum can. 334 § 3 die 7. Octobris 1932.

Sedes Auxiliatricem habet Excellentissimum Dominum Franciscum Kamprath Episcopum Stadiensem, natum die 29. Oct. 1871 in Neu-Titschein, Archidioecesis Olomucensis, electum die 15. Februarii 1929, consecratum die 31. Martii eiusdem anni.

2. Breviter exponat quaenam sit origo dioecesis, quinam eius titulus seu gradus hierarchicus, quae privilegia potiora; si metropolitana sit, an et quas habeat suffraganeas sedes; et quem Ordinarium appellationis iuxta Codicem, can. 1594 § 2, teneat; si vero suffraganea sit, quem Metropolitam habeat; et num apud illum, vel apud alium Antistitem pro conferentiis episcopalibus conveniat; si denique nulli Metropolitae suffragetur, quem Metropolitam pro Concilio provinciali, pro conferentiis et pro iudicio appellationis teneat iuxta cann. 285, 292 et 1594 § 3.

Dioecesis Viennensis per Bullam „in suprema dignitatis specula” de dato XV. Kal. Feb. (18. Jan.) 1469 erecta est, deinde die 1. Junii 1722 in Archidioecesim et Metropolim a S. D. Papa Innocentio XIII. elevata est, cui a. 1785 dioeceses Linciensis et S. Hippolyti uti sedes suffraganeae subdebantur. Dioeceses suffraganeae sunt praedictae: Linz et St. Pölten. Appellandum est ad Ordinarium Salisburgensem.

3. Dicat praeterea:

a) quinam locus residentiae Ordinarii, cum indicationibus ad epistolas inscribendas necessariis;

b) quaenam amplitudo dioecesis, ditio civilis, caeli temperies, lingua;

c) quaenam summa incolarum et praecipua oppida; quot inter incolas sint catholici; si autem varii adsint ritus, quot catholici in singulis, et si acatholici inveniantur, quot sint, et in quales sectas dividantur;

d) qui numerus sacerdotum saecularium, clericorum et alumnorum seminarii;

e) utrum adsit Capitulum cathedrale, an potius coetus consultorum dioecesanorum; an adsint alia Capitula, vel sacerdotum coetus instar Capitulorum, seu Communiae, et quot;

f) in quot vicariatus foraneos, decanatus, archipresbyteratus aliasve circumscriptiones dioecesis divisa sit; quot sint paroeciae, cum numero fidelium earum quae maximae vel minimae sunt; an adsint paroeciae per linguas seu nationes distinctae, et an per familias et non territorio divisae, et quo iure; quot aliae ecclesiae vel oratoria publica adsint; sitne sacer aliquis locus celeberrimus, et qualis, cann. 216, 217;

g) utrum et quaenam religiones virorum habeantur, cum numero domorum et religiosorum sacerdotum;

h) utrum et quaenam religiones mulierum, cum numero domorum et religiosarum.

- a) Ordinarius residet Viennae, et quidem: 1, Rotenturmstrasse 2.
- b) Archidioecesis habet amplitudinem circiter 8000 km² et est pars orientalis Austriae inferioris, in cuius medio urbs Vienna sita est. Lingua est Germanica.
- c) Archidioecesis habet circiter 2,800.000 incolas; praecipua urbs est Vienna¹, capitalis reipublicae; in dioecesi sunt 2,604.068 catholici (Viennae 1,738.674).
Pro catholicis ritus Graeci totius reipublicae adest Viennae parochia centralis cui subduntur circiter 5000 fideles.
- d) Unus Episcopus Dr. Ernestus Seydl Episcopus Eukarpiensis et 997 sacerdotes de ipsa Archidioecesi, insuper 103 sacerdotes e dioecesibus extraneis. Alumni in seminario maiori sunt 160.
- e) Adest Capitulum cathedrale, praeter quod alia non adsunt Capitula hisque similes Communiae.
- f) Archidioecesis in 41 decanatus dividitur, et quidem in 5 in civitate Viennensi, 16 in parte archidioecesis meridionali, 20 in septemtrionali.
Parochiae existunt Viennae 78, extra Viennam 455, quarum numero fidelium maxima constat 75.000 Viennae X. ad S. Antonium de Padua, minima 220 in Herrnleis.
Per familias distincta est tantummodo ecclesia parochialis ordinis Teutonici, quae anno 1729 fundata et eidem ordini incorporata solum pro membris et officialibus eorumque familiis Viennae 1. Singerstrasse 7 habitantibus destinata est.
Milites iurisdictioni vicarii militaris Excellentissimi Domini² Ferdinandi Pawlikowski, Episcopi Seccoviensis, subsunt.
Praeter ecclesias parochiales Viennae existunt ecclesiae et oratoria publica 101, oratoria in scholis et institutis 57, extra Viennam 266.

g)

1. Ordo Teutonicus S. Mariae in Jerusalem (O. T.); 1 conventus, 9 sacerdotes.
2. Canonica Claustro-neoburgensis congregationis regularium Lateranensium Austriae; 67 sacerdotes.
3. Sacer et militaris ordo crucigerorum cum rubea Stella (O. Cr.); 1 parochia, 2 sacerdotes.
4. Monasterium B. M. V. ad Scotos Viennae (O.S.B.); 48 sacerdotes.
5. Congregatio Mechitaristica Vindobonensis (O.M.V.); 19 sacerdotes.
6. Monasterium ad S. Crucem O. Cist.; 48 sacerdotes.
7. Ordo fratrum Praedicatorum; 2 domus, 15 sacerdotes.
8. Ordo fratrum minorum; 3 conventus, 27 sacerdotes.
9. Ordo fratrum minorum conventualium; 3 conventus, 16 sacerdotes.
10. Ordo minorum Capucinatorum; 2 conventus, 11 sacerdotes.
11. Ordo fratrum Carmelitarum; 10 sacerdotes.
12. Ordo Fratrum Carmelitarum Discalceatorum; 9 sacerdotes.
13. Ordo Ssmae Trinitatis; 8 sacerdotes.
14. Ordo servorum Mariae; 2 conventus, 9 sacerdotes.
15. Ordo s. Joannis de Deo; 3 conversi, 2 sacerdotes, 41 fratres.
16. Congregatio Clericorum Regularium S. Pauli; 4 collegia, quae sunt suppressa et administrationi societatis divini Salvatoris concedita.
17. Societas Jesu; 5 domus, 68 sacerdotes.
18. Ordo Clericorum Regularium ministrantium infirmis (O. S. Cam.); 18 sacerdotes.
19. Ordo Clericorum Regularium pauperum matris Dei Scholarum piarum (S. P.); 3 collegia, 12 sacerdotes.

¹ Im Original *Viennae*.

² Im Original *Dno*.

20. Congregatio Missionis; 3 domus, 16 sacerdotes.
21. Congregatio Clericorum excalceatorum S. Crucis et Passionis D. N. J. C. (C. P.); 8 sacerdotes.
22. Congregatio Sanctissimi Redemptoris; 3 collegia, 38 sacerdotes.
23. Societas Mariae; 2 domus, 2 sacerdotes., 19 fratres.
24. Congregatio Presbyterorum a Sanctissimo Sacramento (S. S. S.); 4 sacerdotes.
25. Congregatio a Resurrectione D. N. J. C.; 3 sacerdotes.
26. Pia societas S. Francisci Salesii (S. S.); 5 domus, 27 sacerdotes.
27. Institutum Oblatorum S. Francisci Salesii; 3 domus, 17 sacerdotes.
28. Congregatio Sacerdotum a Sanctissimo Corde Jesu; 2 domus, 7 sacerdotes.
29. Societas Verbi divini; 2 domus, 53 sacerdotes.
30. Pia societas Missionum (P. S. M.); 6 sacerdotes.
31. Societas Divini Salvatoris; 5 domus, 27 sacerdotes.
32. Congregatio Missionariorum a sancta Familia (M. S. F.); 3 sacerdotes.
33. Institutum fratrum scholarum christianarum; 9 domus, 243 fratres
34. Congregatio pro Operariis christianis a S. Josepho Calasancio; 6 domus, 16 sacerdotes.
35. Congregatio Fratrum Consolatorum de Gethsemane; 2 domus, 5 sacerdotes.
36. Societas Missionum Reginae Apostolorum; 3 domus, 5 sacerdotes.

h)

A) Moniales:

1. Ordo S. Ursulae, 2 domus, 89 religiosas.
2. Conventus Elisabethinarum, 1 domus, 53 religiosas.
3. Ordo Visitationis Sanctae Mariae, 1 domus, 62 religiosas.
4. Institutum Ssmi Redemptoris, 1 domus, 32 religiosas.
5. Filiae beatae Virginis a Caritate boni Pastoris, 2 domus, 126 religiosas.
6. Ordo Carmelitarum discalceatarum, 2 domus, 40 religiosas.
7. Franciscales a Ssmo Sacramento, 1 domus, 36 religiosas.

B) Congregationes:

1. Filiae caritatis, 22 domus, 510 religiosas.
2. Congregatio sororum scholarum Viennensium III. ordinis S. Francisci, 23 domus, 278 religiosas.
3. Filiae infantiae Jesu et Mariae sub patrocinio S. Christianae, 3 domus, 102 religiosas.
4. Congregatio sororum 3. ordinis S. Francisci a Caritate Christiana, 17 domus, 723 religiosas.
5. Congregatio filiarum divini Salvatoris, 40 domus, 1099 religiosas.
6. Congregatio sororum Pauperis Infantis Jesu, 5 domus, 395 religiosas.
7. Congregatio pauperum sororum scholarum Dominae nostrae, 11 domus, 141 religiosas.
8. Congregatio sororum a Sancta Cruce, 35 domus, 413 religiosas.
9. Institutum filiarum caritatis s. Vincentii a Paulo, 21 domus, 362 religiosas.
10. Societas religiosarum sacratissimi Cordis Jesu, 2 domus, 132 religiosas.
11. Conventus Reginae sacri Rosarii sororum 3. Ordinis Praedicatorum, 106 rel.
12. Congregatio famularum sanctissimi Cordis Jesu Viennensium, 22 domus, 958 religiosas.
13. Sorores misericordiae s. Caroli Borromaei, 3 domus, 53 religiosas.
14. Societas filiarum divinae caritatis, 16 domus, 350 religiosas.
15. Congregatio Nostrae Dominae de Sion, 1 domus, 71 religiosas.
16. Congregatio sororum a Matre dolorosa, 7 domus, 52 religiosas.
17. Congregatio pauperum sororum 3. ordinis S. Francisci Seraphici, 5 domus, 44 religiosas.

18. Societas auxiliatricum animarum purgatorii, 16 religiosas.
19. Congregatio Oblatarum S. Francisci Salesii, 6 religiosas.
20. Institutum Franciscalium Missionarium a Maria, 3 domus, 85 religiosas.
21. Congregatio sororum scholarium pauperum III. ordinis S. Francisci, 2 domus, 12 religiosas.
22. Congregatio Sororum de Adoratione perpetua, 3 domus, 48 religiosas.
23. Sorores divini Salvatoris, 7 domus, 111 religiosas.
24. Carmelitae a divino Corde Jesu, 3 domus, 38 religiosas.
25. Congregatio Missionalis servarum Spiritus sancti, 5 domus, 210 religiosas.
26. Congregatio sororum a S. Joseph Treviren., 2 domus, 12 religiosas.
27. Congregatio sororum Scholarum Graecensium a 3. Ordine S. Francisci, 2 domus, 11 religiosas.
28. Sorores caritatis ordinis Teutonici, 2 domus, 11 religiosas.
29. Societas Missionum Reginae Apostolorum, 4 domus, 76 religiosas.
30. Ordo servarum Mariae, 7 religiosas.
31. Institutum B. M. V., vulgo Virginum Anglicanarum, 15 religiosas.
32. Ancillae B. M. Annunciatae, 5 religiosas.
33. Congregatio filiarum Mariae Auxiliatricis, 3 domus, 12 religiosas.

Caput II.

De administratione temporalium bonorum, de inventariis et archivis.

4. An et quomodo iuxta civiles loci leges, facultas possidendi, acquirendi et administrandi, quae ecclesiae propria est, sarta tectaue sit; an potius coarctata; et si ita sit, quatenam sit conditio cleri et ecclesiarum.

Secundum leges de dato 7. Maii 1874 Gubernium administrationi bonorum ecclesiasticorum invigilat et insuper iuspatronatus in plures parochias exercet, propterea etiam Gubernio administrationis ratio reddenda est. Sed Gubernium bona ecclesiastica tuetur et clero congruam solvit necnon partem expensarum in ecclesiis renovandis. Inter magistratus et curiam amicalis ratio adest ita, ut difficultates facile de medio possint tolli.

5. An institutum sit penes Curiam Consilium administrationis et quibusnam constet; et num Episcopus in administrativis actibus maioris momenti illud audierit iuxta praescripta can. 1520.

Consilium administrationis secundum sensum strictum can. 1520 non existit, sed Curia habet speciale officium. in quo sacerdotes et laici periti relationes, quas de administratione bonorum reddunt parochi et Ecclesiarum rectores, examinant et rectae procurationi invigilant; in actibus huius generis quae sunt maioris momenti Ordinarius audit membra iurati consistorii.

6. An administratores particulares, sive ecclesiastici sive saeculares, cuiusvis ecclesiae etiam cathedralis, aut loci pii canonice erecti, aut confraternitatum, reddant quotannis Ordinario rationem suae administrationis. Can. 1525.

Omnes administratores particulares quovis anno rationem debent reddere Ordinario.

7. An servata sint praescripta can. 1523 circa modum administrationis, et confectionem librorum accepti et expensi; can. 1526 de non inchoandis litibus sine Ordinarii scripta licentia; can. 1527

de abstinendo ab actibus Ordinariam administrationem excedentibus; et can. 1544 seqq. circa congruam dotem, tabulas piarum foundationum, aliaque.

8. *An qui bona fiduciaria ad pias causas acceperint, servent quae can. 1516 statuit, praesertim circa rationem Ordinario reddendam.*

9. *In venditione, oppignoratione, permutatione, locatione et emphyteusi bonorum servataene sint fideliter ab omnibus normae cann. 1530-1533, 1538-1542; et si non, quae remedia adhibita. Praecipua quae acta sunt his de rebus negotia referantur.*

7–9. *Ordinarius et inprimis praefatum Curiae officium diligenter invigilant, ut circa bona ecclesiastica serventur praescripta can. 1523; etiam alia praescripta stricte servantur.*

10. *Circa decimarum et primitiarum solutionem serventurne laudabiles consuetudines, praecavendo tamen a dura exactione. Can. 1502.*

In paucis solum paroeciis tributa adsunt, plerumque monetis solvenda.

11. *Circa oblationes in commodum paroeciae et missionis serventurne praescripta can. 1182 de earum administratione et ratione Ordinario reddenda; et collectores abstineantne a vexatoria et odiosa requisitione.*

Parochi rationem reddunt Curiae et magistratui.

12. *Circa missarum stipem quomodo serventur quae can. 831 praescribit de taxa synodali; quae can. 835 de non colligendis a sacerdotibus missis, quibus intra annum ipsi satisfacere nequeant; quae can. 841 de transmissione ad Ordinarium missarum exuberantium; quae cann. 843 et 844 de libro tam personali quam ecclesiarum proprio pro missis adnotandis.*

Praescripta servantur et vicarii foranei libros intentionum tum privatos sacerdotum tum officiales ecclesiarum quoque anno in occasione canonicae visitationis inspiciunt.

13. *An inventaria immobilium, mobilium et sacrae suppellectilis uniuscuiusque ecclesiae, parochiarum, capitulorum, confraternitatum aliorumque piorum locorum, quae canonice erecta sint, confecta in duplici exemplari, alio pro pio opere, alio pro Curia episcopali, habeantur iuxta cann. 1296, 1522. Cautumne sit, et quomodo, ne morte rectoris ecclesiae, aut superioris pii operis, mobilia et suppellectilia disperdantur aut subtrahantur. Cann. 1296, 1300-1302.*

Inventaria adsunt decimo quoque anno renovanda. In casu decessus rectoris ecclesiae vicarius foraneus de clavibus, libris, pecunia debet curare et vicario oeconomio tradere.

14. *An Episcopus archivum habeat ad tramitem cann. 375-378 erectum et custoditum et cum documentis et libris de quibus in cann. 470 § 3, 1010, 1047, 1107; a quo tempore documenta incipiant, et an pergamenae et incunabula habeantur; catalogine confecti sint; an aliud quoque secretum archivum, vel saltem armarium obseratum, in qua scripturae secretae custodiantur, servatis regulis cann. 379-380.*

Archivum adest bene ordinatum cum libris praescriptis; documenta incipiunt a saeculo XVI; pergamenae et incunabula adsunt. Msgr. Ernestus Tomek, pro anno scholari 1933/4 rector magnificus Universitatis Viennensis electus, professor publicus historiae ecclesiasticae, curam archivi habet.

Adest etiam archivum secretum.

15. *An ecclesia cathedralis, collegiatae, paroeciales, confraternitates et pia loca canonice erecta sua quoque archiva detineant, cum documentis cuicumque piae causae propriis, cum inventariis mobilium et immobilium et cum catalogo omnium documentorum; et exemplar eiusdem catalogi exhibitumne fuit Curiae episcopali, et in archivo Curiae repositum iuxta can. 383.*

In ecclesiis archiva adsunt et singulis annis a vicariis foraneis inspiciuntur. Alterum inventarii exemplar in curia servatur.

Caput III.

De fide et cultu divino

16. *Utrum graves errores contra fidem serpent inter dioecesis fideles; vel aliqua praxis superstitiosa aut ab institutis catholicis aliena in dioecesi vigeat; an modernismi, theosophismi, spiritismi lues dioecesim infestet, et an aliqui e clero eisdem erroribus infecti sint. Quenam huius mali fuerit, vel adhuc sit causa.*

Adsitne consilium a vigilantia, quot personis constet, et quo fructu munera sua expleat.

An professio fidei cum iuramento antimodernistico exigatur, et ab omnibus ad quos spectat fideliter praestetur iuxta can. 1406 et decretum S. Officii 22 Martii 1918.

Ultimo quinquennio socialistae multum intenti erant in seducendos operarios. Officium statisticum Status sequentes numeros in publicum edit:

Ecclesiam reliquerunt:

1928	14.023
1929	12.081
1930	8.610
1931	6.723

Ecclesiam ingressi sunt:

1928	716
1929	760
1930	938
1931	900 ³

Praesertim ultimis mensibus multi ad Ecclesiam matrem regrediuntur, quia liberati a terrore socialistarum et roborati exemplo Gubernii fidem quam semper voluerunt tenere, rursus amplectuntur. Sed tamen socialistae clam laborant et suas intentiones proximo momento favorabili iterum in praxim deducturi sunt.

Societas „liberae cogitationis” (Freidenkerbund) a Gubernio hoc anno est suppressa.

Aliud periculum est secta vetero-catholicorum. Ad quam convolant catholici, qui obstante vinculo matrimoniali alias nuptias attentant; et ministri huius sectae corpora cremanda ritu funerali benedicunt.

E clero nemo est erroribus infectus.

Consilium vigilantiae penes Curiam constat 5 sacerdotibus dignioribus.

Professio fidei unacum iuramento antimodernistico ab omnibus, de quibus in can. 1406, praestatur.

³ Hic solum notantur illi, de quorum regressu magistratus civilis notitiam habet; a parochis in sinum Ecclesiae recepti sunt 1928: 2050, 1929: 2508, 1930: 3124, 1931: 3410.

17. *Utrum divinus cultus libere exerceatur; sin minus, unde obstacula proveniant: a civilibusne legibus, an ab hostilitate perversorum hominum, vel ab alia causa; quaenam ratio suppetat ad ea amovenda et num adhibeatur.*

Cultus divinus sine obstaculis potest exerceri.

18. *An ecclesiae iura circa coemeteria sarta tectaue sint et canonicae de his leges servari possint et servantur. Cann. 1205 seqq.*

Ecclesiae iura circa caemeteria ecclesiastica agnoscuntur, sed numerus coemeteriorum multo maior est de genere interconfessionalium a civilibus communitatibus erectorum.

19. *Utrum in cultu divino, in sanctorum, sacrarum imaginum et reliquiarum veneratione; in sacramentorum administratione necnon in sacris functionibus, sive quoad ritus sive quoad linguam et cantum, leges canonicae ac liturgicae servantur. An in his, et quaenam, irrepserint singulares consuetudines; sitne cura ut prudenter submoveantur, an potius tolerentur, et quanam de causa. Can. 731 seqq.; can. 1255 seqq. Adsintne in ecclesiis picturae, statuariae aliaque a sanctitate loci aliena, vel minus consona liturgicis legibus; et quid fiat ut amoveantur.*

Arceanturne semper a domo Dei profani conventus et nundinae etiam ad pias causas. Can. 1178.

In cultu divino leges liturgicae observantur; pro tempore nova ritualis dioecesis editio praeparatur, in qua iuxta exemplum complurium librorum ritualium pro aliis dioecesibus iam approbatorum preces in lingua vernacula continebuntur.

Cantus Gregorianus magis in dies colitur. In seminariis ordinariae lectiones et exercitationes a Reverendo Domino Doctore Francisco Kosch habentur, qui etiam pro sacerdotibus speciales cursus instituit. In compluribus parochiis tum civitatis tum ruri etiam populus cantum Gregorianum adhibet.

Addatur hic relatio de musica sacra in ecclesia cathedrali:

Quavis hebdomada studentes academiam Musicae sacrae frequentantes cantant Missam conventualem Capituli in cantu Gregoriano. Alumni seminarii maioris Dominicis et festis de praecepto Vesperas, aliis vero vicibus, e.g. feriis Rogationum, Vigilia Pentecostes, missas cantant in cantu Gregoriano.

Dominicis Adventus et Quadragesimae chorus ecclesiae cathedralis cantat in Choralis „Asperges”, Introitum, Communionem, sed etiam aliis Dominicis circiter 10 vicibus in anno Cantus Gregorianus adhibetur. Compositiones in stilo „Palestrina” aliis Dominicis et festis; circiter duodecies in anno solum compositiones instrumentales adhibentur, inter quas 4 aut 5 opera „classicorum Viennensium”. Quae consuetudo plus quam centenaria prudenter tollenda non est, sed paucae illae vices a maiore numero musicae verae ecclesiasticae vincuntur.

Praescripta artis sacrae ab Ordinario nuperrime urgebantur, praesertim circa lucem electricam in ecclesiis adhibendam.

In ecclesiis non fiunt nundinae nec conventus profani.

Pro ecclesiarum necessitatibus interdum organi et cantus sacri productiones locum habent, sed servato omnino respectu sacri ambitus.

20. *Utrum numerus ecclesiarum in singulis oppidis vel paroeciis fidelium necessitati sufficiat.*

Numerus ecclesiarum Viennae sufficiens non est, sed adlaborant parochi, ut aliis in locis fidelibus interim praebeant occasionem audiendi sacrum.

Viennae ultimo quinquennio octo novae ecclesiae aedificatae sunt.

21. *An generatim ecclesiae mundaе sint, decenter ornatae et supellectili sufficienti instructae. Adsintne egentes, squalidae, fatiscentes, et an et quid agatur ut reficiantur.*

Recenseantur ecclesiae, si adsint, structurae arte, picturis aut pretiosa supellectili insignes: et dicatur num congrua de his omnibus cura adhibeatur.

Generatim ecclesiae mundaе sunt et bene curatae; Curia et magistratus sedulo invigilant in conservationem et renovationem ecclesiarum. Pro servandis artis thesauris penes Curiam institutum est speciale consilium (Denkmalrat), quo omnes ecclesiarum rectores debent uti.

22. *An ingressus in ecclesias, dum sacra aguntur, sit, prout debet, prorsus absolute semperque gratuitus. Can. 1181.*

Ingressus in ecclesias, dum sacra aguntur, semper est gratuitus.

23. *An ecclesiae rite custodiantur ne furtis et profanationibus obnoxiae fiant, et eae in quibus SS. Eucharistia asservatur, praesertim paroeciales, quotidie per aliquot horas fidelibus pateant iuxta can. 1266. Quomodo observentur: cann. 1267 et 1268 circa custodiam SSmi Sacramenti in uno tantum loco et altari; et circa decorem et ornamentum praecellentissimum altaris eiusdem; can. 1269 circa tabernaculi statum; can. 1271 circa lumen coram SSmo.*

Rectores ecclesiarum in id invigilare debent, ne res pretiosae in tabernaculo relinquant, ne alliciantur fures.

Praescriptum can. 1266, sc. ut pateant Ecclesiae, in quibus Sanctissimae Eucharistiae Sacramentum asservatur, fidelibus, semper ab Ordinario urgetur.

Can. 1267 observatur, sed contra praescriptum can. 1268 § 1 in Ecclesia cathedrali Sanctissima Eucharistia asservatur duobus in altaribus, ut distribuatur S. Communio fidelibus et horis pomeridianis benedictio cum Sanctissimo Sacramento fidelibus possit impertiri.

Munditia et ornamentum altaris Sanctissimi Sacramenti generatim bene servatur, item cann. 1269 et 1271.

Caput IV.

De iis quae ad Ordinarium pertinent.

24. *Indicet Ordinarius quibus redditibus ipse qua talis fruatur, sive sint ex bonis immobilibus, ex publico foenore vel aerario, ex incertis Curiae, ex dioecesis contributione, sive ex aliis causis: et an sibi sufficientes sint; qualem domum episcopalem inhabitet, et cum quibusnam convivat: an et quale cathedraicum exigat iuxta can. 1504; an et quales alias exactiones forte imposuerit iuxta cann. 1505, 1506; utrum aliquo aere alieno sive qua Ordinarius, sive qua persona privata gravetur; et qua ratione eius extinctioni consulat.*

Redditus mensae episcopalis proveniunt e bonis immobilibus, agris, silvis, domibus. Praesente rerum condicione lignum vilis est pretii et redditus decrescebant; qui istis diebus non sufficiunt ad expensas solvendas et operarios sustentandos.

Ordinarius palatium proprium habet Viennae et cum duobus sacerdotibus capellanis convivat.

Nunc totum mensae commercium, cui insuper cura 20 ecclesiarum parochialium iurepatronatus est concredita, passivum est.

25. *An episcopales aedes et bona mensae sive mobilia sive immobilia, accurato inventario confecto, curaverit iuxta praescripta cann. 1483, 1299 § 3 et 1301.*

Mensa episcopalis inventarium habet et iuxta canones diligenter administratur.

26. *An in ultima sedis vacatione praeter Vicarium Capitularem oeconomus quoque constitutus fuerit pro mensae bonis et res bene gestae fuerint iuxta cann 432, 433.*

In ultima Sedis vacatione ab 21. Aprilis usque ad 7. Octobris 1932 praeter Vicarium capitularem etiam oeconomus erat constitutus, qui de sua administratione novo Ordinario rationem reddebat.

27. *Quomodo residentiae legi satisfaciat; qua frequentia pontificalia peragat, conciones habeat et pastoralibus litteris clerum et populum instruat; quomodo caveat ut ecclesiasticae leges notae fiant, et ut ab omnibus fideliter serventur. Can. 336.*

Ordinarius residet Viennae praeter vacationes aestivales; fere omnibus Dominicis festisque diebus in ecclesiis pontificalia peragit, cum clero et populo celebrans solemnitates diversi generis. Quibus in functionibus sermonibus quoque populum alloquitur. Litterae pastorales quadragesimae tempore et aliis terminis significantibus eduntur.

Leges ecclesiasticae principaliores quotannis initio Quadragesimae publicantur tum lectione in ecclesiis tum eas affigendo ad valvas ecclesiarum.

28. *Qua frequentia sacramentum confirmationis administret; et quomodo provideat, si ipse per se omnium necessitatibus consulere nequeat. Serventur in huius sacramenti collatione regulae de aetate confirmandorum et de patrinis.*

Anno inde a sua consecratione – die 16. Octobris 1932 – elapso Ordinarius plus quam 10.000 fidelibus Sacramentum administravit. Sed etiam Auxiliaris et Episcopus Seydl in conferendo hoc Sacramento eum adiuvant, et circa festum Pentecostes Nuntius quoque Apostolicus. Regulae de aetate confirmandorum et de patrinis servantur.

29. *Quot in quinquennio sive per se sive per alium ad sacros ordines promoverit. Et an servaverit leges de non promovendis:*

a) *qui necessarii non sint vel utiles iuxta can. 969;*

b) *qui saltem integrum theologiae curriculum in seminario non peregerint. Can. 972 § 1.*

An numerus ordinatorum par fuerit necessitati dioecesis. An aliquem incardinaverit, qua de causa, et num iuxta legem can. 111 seqq.

Ultimo quinquennio 103 sacerdotes pro dioecesi ordinati sunt, regulares 264 servatis omnibus de iure servandis.

Incardinati sunt sacerdotes 18.

30. *An servatae sint regulae can. 877 seqq. in concedenda facultate vel licentia sacramentales confessiones audiendi; et can. 893 seqq. circa casus reservatos.*

Cann. 877 et seqq. circa licentiam audiendi confessiones et cann. de casibus reservatis observantur. Casus sine censura Ordinario reservatus est: Copula incestuosa inter consanguineos et affines I. gradus.

31. *Circa sacram praedicationem, an consuluerit ut iuxta Const. S. P. Benedicti XV et normas a S. C. Consistoriali datas die 28 Iunii 1917 omnia rite procederent; ac maxime ut servarentur praescripta can. 1340 seqq. circa licentiam concedendam et can. 1347 circa modum et argumentum concionandi. An curaverit ut votum a can. 1345 expressum de brevi aliqua homilia in omnibus missis festivis habenda sensim ad effectum ducatur.*

Praecepta circa Verbi Dei praedicationem observantur; brevis homiliae in omnibus missis festivis habendae praescriptum ab Ordinario urgetur.

32. *An et quo fructu avertere pro viribus studuerit fideles a nuptiis cum acatholicis, infidelibus, aut impiis iuxta cann. 1060, 1064, 1065, 1071.*

Inter 51.293 matrimonia anno 1929 contracta 42.210 a duobus catholicis sunt inita, 40.727 coram sacerdote catholico; 1116 erant matrimonia mixta cum Protestantibus, 116 cum Iudaeis.

Ordinarius proximo tempore per parochos et ipse per litteras pastorales doctrinam de matrimonio christiano populo explanabit.

33. *An in quinquennio totam dioecesim ipse per se, aut per alium visitaverit iuxta cann. 343-346. An praeter loca et res, libros et archiva, personas quoque clericorum visitaverit, eos singillatim audiendo, ut cognoscat quae sit uniuscuiusque vitae ratio, quae confessionis frequentia etc. An inspexerit quoque quae habentur circa legatorum adimplementum et missarum manualium satisfactionem ac stipem, et an constiterit omnia ad legis normam procedere iuxta cann. 824-844. Et si abusus aliquos hac in re detexit, referat.*

Ad visitandam totam dioecesim, in quo officio Ordinarius a Vicario generali adiuvatur, decennium est necessarium, quia dioecesis 533 parochias habet et Ordinarius praeterea administrationem apostolicam pro regione „Burgenland” cum 156 parochiis gerit.

Ordinarius in visitatione singulos clericos, etiam alios de populo viros singillatim audit et in Missarum et legatorum gestionem bene inspicit.

34. *Utrum et quomodo dioecesanam synodum celebraverit, et quando novissima synodus congregata fuerit. Cann. 356-362.*

Synodus dioecesana nunquam celebrata est; autumno 1934 Ordinarius synodum convocabit.

35. *Si sit metropolitanus aut conferentiarum episcopalium praeses: an et quando concilium et quando conferentias convocaverit; quinam interfuerint; et quo fructu res cesserit. Cann. 283-292. Ceteri Episcopi: an concilio provinciali, et conferentiis ipsi per se, aut saltem per procuratorem, interfuerint. Can. 287.*

Episcopi Austriae quovis Novembri Vienna aut Salisburgi conveniunt; Ordinarius pro tempore est huius conferentiae praeses. De conferentia anni praeteriti Sancto Patri referebat.

36. *Quomodo se habeat cum civili loci auctoritate; an episcopalis dignitas et iurisdictio sarta tecta ita semper servari potuerit, ut numquam, servilitate erga humanas potestates vel alio modo, detrimentum libertati et immunitati ecclesiae, aut dedecus statui ecclesiastico obveniret.*

Relationes cum Gubernio nunc sunt optimae, cum viri praestantiores sint catholici.

Caput V.

De Curia dioecesana

37. *Utrum Curia dioecesana aedes proprias, sufficientes et convenientes habeat; et si non, an et quomodo huic defectui consuli queat. Exhibeatur prospectus officialium Curiae episcopalis, adiectis iudicibus synodalibus, examinadoribus, parochis consultoribus, censoribus librorum aliisque peculiaribus administris. Can. 363 seqq.*

Curia dioecesana in palatio archiepiscopali bonis officiis utitur, tribunal novum officium habet.

Vicarius generalis: Excellentissimus Dominus Franciscus Kamprath.

Cancellarius: Msgr. Josephus Wagner, canonicus.

Officialis: Msgr. Wenceslaus Merinsky, decanus capituli.

In cancelleria adsunt 11 sacerdotes uti secretarii et 2 laici, tribunal habet 3 vice-officiales, 12 iudices prosynodales, 4 notarios, promotorem iustitiae et vinculi defensorem, 5 advocatos. Curia 9 examinatores prosynodales et 4 parochos consultores habet.

38. De qualitatibus et opere Vicarii generalis et aliorum praecipuorum ministrorum adumbratio aliqua fiat.

Ordinarius de labore praefatorum officialium contentus est, praesertim de qualitatibus Excellentissimi Vicarii generalis, qui vir optimus, pietate et scientia vere praecellens eum in dioecesis regimine valde adiuvat.

39. Quinam sint Curiae proventus sive ex taxis, sive ex multis pecuniariis, sive ex aliis titulis: et quomodo erogentur.

Curiae proventus comparantur taxis.

Caput VI.

De Seminariis.

40. Si dioecesis seminario careat, quomodo consulatur pro comparandis sacerdotibus dioecesi necessariis. An studium sit seligendi bonae spei iuvenes, e dioecesi oriundos, ad clerum indigenam creandum; quo fructu et ubinam educantur. Can. 1353.

41. Si seminarium adsit, referatur enucleate:

a) de numero et statu eorum qui externam disciplinam regunt, qui spiritualiter alumnos dirigunt, qui docent, qui discunt;

b) de statu aedium et rusticationis domus;

c) de redditibus et oneribus, hoc est de statu activo et passivo pii instituti;

d) de iis quae videantur necessaria ad meliorem Seminarii statum

a) Seminario maiori praeest Msgr. Carolus Handloß uti regens, deinde director spiritualis, economus, 2 studiorum praefecti; 2 confessarii e Societate Jesu. Alumni docentur a professoribus facultatis theologiae in Universitate Vindobonensi.

Seminario minori praeest Rector Josephus Ettl, spiritualis director et 7 studiorum praefecti.

b) Status aedium est bonus, rusticationum domus deest.

c) I. Annui redditus:

1) pensiones alumnorum	S 10.000,-
2) fundus religionis	S 40.000,-
3) seminaristicum voluntarium.	S 8.000,-
4) stipes fidelium	S 30.000,-
5) stipendia	S 30.000,-

II. Expensae ca. 150.000,- S.

42. Distinctumne sit seminarium in maius et minus iuxta can. 1354 § 2.

Et si prudentia suaserit, aut dioecesis conditio exegerit, ut dumtaxat seminarium minus seu schola apostolica, uti vocant, constitueretur, dicatur ubinam maiores alumni educantur: num in seminario proprio provinciali, seu regionali, seu interdioecesano apostolica auctoritate constituto iuxta can. 1354 § 3. Et de eius statu adumbratio aliqua fiat.

Adsunt duo seminaria, maius et minus.

43. *An servatae sint regulae: can. 1356 circa tributum seminaristicum; can. 1357 circa visitationem alumnorum et regulas internas; cann. 1358, 1360, 1361 circa directionem disciplinarem, oeconomicam et spiritualem; can. 1359 circa deputatos; can. 1363 circa alumnos admittendos et excludendos; can. 1371 circa dimittendos aut expellendos; cann. 1364-1366 circa institutionem litterariam et scientificam, praesertim philosophiae et theologiae; can. 1367 circa pietatis exercitia; can. 1369 circa spiritum ecclesiasticum fovendum et urbanitatis leges tradendas.*

Tributum Seminaristicum iuxta can. 1356 non existit, sed solum voluntarie sacerdotes pro seminario oblationes dant.

1357: Ordinarius seminarium nonnullis vicibus visitat, praesidet saepe praefectorum conferentiis; quavis hebdomada duo clerici Ordinario inserviunt in celebratione Missae et postea cum eo possunt loqui.

1359: Deputatorum muneri⁴ funguntur pro disciplina Franciscus Hlawati et Aloisius Wildenauer canonici, administratione bonorum temporalium Msgr. Josephus Wagner canonicus, et Dr. Ernestus Tomek, rector Universitatis.

Praescripta cann. reliquorum observantur.

44. *An Ordinarius curaverit ut aliquis alumnus pietate et ingenio praestans peculiaria Urbis collegia, vel universitates sive facultates a S. Sede in Urbe vel alibi probatas adiret, ut ibidem in studiis perficeretur iuxta can. 1380.*

Decursu annorum semper aliquis sacerdos in Instituto S. Mariae de Anima Romae studiis operam dabat; 2 alumni sunt in Collegio Germanico, alius studet in Universitate Oenipontana.

Caput VII.

De clero generatim.

45. *An clerus generatim habeat quo honeste vivere possit. An pro senibus et infirmis domus aut saltem subsidia adsint quibus adiuvari possint.*

Ex congrua et redditibus „stolae” clerus sufficientia habet ad honestam sustentationem; senes fruuntur pensionibus.

46. *An habeatur domus propria pro spiritualibus cleri exercitiis; an etiam quo poenitentes recipiantur.*

Pro exercitiis sacerdotum apertae sunt portae diversorum domorum regularium, ita S. J. et S. V. D.; tempore vacationum aestivarum etiam in seminario maiori cursus locum habet.

Sacerdotes poenitentes in domibus regularium recipiuntur.

47. *Quo fructu Ordinarius curaverit ut clerici omnes ea adimpleant quae recensent: can. 125 circa sacramentalem confessionem et pietatis exercitia; can. 126 circa periodicum recessum ad spiritualia exercitia; can. 130 circa examina annualia novorum sacerdotum; cann. 131 et 448 circa conferentias cleri; can. 133 circa cohabitationem cum mulieribus; can. 134 circa communem clericorum vitam, praesertim vicariorum cooperatorum cum suo parochio, can. 476 § 5; can. 135 circa recitationem officii divini; can. 136 circa habitus ecclesiastici et tonsurae delationem; can. 811 circa vestis talaris delationem in missae celebratione; can. 137 circa fideiussiones cavendas; cann. 138-140, 142 circa abstinentiam ab omnibus quae statum*

⁴ Statt „munere“.

ecclesiasticum dedecent, a theatris et spectaculis mundanis et a negotiorum saecularium gestione.

Canonum in hac quaestione recensitorum praescripta generatim servantur. Ordinarius praesertim vitam clericorum communem urget.

48. An et quot clericis licentiam concesserit, de qua in can. 139 § 3, operam suam praestandi in arcis seu mensis nummulariis parsimonialibus, cooperativis, ruralibus, aut similibus: an ratione communis boni, deficientibus laicis, et ob utilitatem religionis id concesserit; et num adhuc hae concessionis causae perseverent; an mensae nummulariae, in quibus clerici opus aliquod agunt, honestate personarum et principiorum tales sint, ut non dedeant sacerdotem in iis partem habere; an in iisdem administratio ita recte geratur, ut omne absit decoctionis periculum, in quo sacerdotes convoluti maneant; et quomodo caverit de securitate huius notitiae; an denique qui hisce arcis applicati sunt a religiosa sacerdotalis vitae praxi deflexerint, et molestiam aliquam attulerint; et si ita sit, Ordinarius casus proponat et remedia suggerat.
Haec licentia ultimis annis data non est.

49. An clerus praestet eam quam can. 127 praescribit obedientiam et reverentiam erga Ordinarium suum, et erga Apostolicam Sedem; et si sint qui graviter deficiunt, eos Ordinarius denunciaret. Si adsit in dioecesi clerus diversi ritus et linguae, quaenam sit inter clericos caritas et quaenam Ordinario cura fuerit pro utrisque.

Generatim clerus obedientiam Ordinario praestat; casus graviorum criminum non exstant. Adsunt in dioecesi Armeni et Rutheni, cum quibus est ad nostrum clerum bona relatio.

50. An generatim clerus officia obsequenter suscipiat, quae Ordinarius iuxta can. 128 eis committit; an habeantur, qui quamvis viribus polleant, otiosi tamen vivere malunt; si habeantur qui Universitates laicas frequentent, an hi servaverint ac servent leges a S. C. Consistoriali ad rem statutas; et si huiusmodi adsint, eos Ordinarius indicet.

Clerici generatim munus ab Ordinario eis concreditum suscipiunt. Nonnulli catechetarum suas in scholis lectiones solum absolvunt et animarum curam negligunt.

Complures sacerdotes cum Ordinarii licentia Universitatis Viennensis facultates philosophicam et iuridicam adeunt.

51. An adsint sacerdotes qui in diariis et libellis periodicis scribant vel ea moderentur; et qua facultate et utilitate id peragant. Can. 1386 § 1.

Sub vigilantia Ordinarii nonnulli sacerdotes folia periodica catholica moderantur.

52. An adsint de clero qui cum scandalo diaria et ephemerides vel libros legant quae dedecent; qui factionibus municipalibus vel politicis indebite se immisceant; qui ad statum saecularem redacti sint, aut per nefas ad illum sponte sua sint regressi. Cann. 211-214; et quid fiat ad horum malorum remedium.

Huius generis clerici non adsunt. Ad statum laicalem unus sacerdos redactus est.

53. An et quo fructu aliquas ex poenis recensitis in can. 2298 Ordinarius irrogaverit, et casus graviores referat.

Nihil advertendum.

Caput VIII.

De Capitulis.

54. *Si desit Capitulum cathedrale, dicatur quot consultores dioecisani habeantur, et serventur circa ipsos quae cann. 424-428 statuunt.*

Adest Capitulum cathedrale.

55. *Si adsit cathedrale Capitulum, dicatur quot dignitatibus et canonicis constet; adsintne officia canonici theologi et poenitentarii et serventur ab ipsis quae cann. 398-401 iubent; habeantur alii beneficiati minores, et quot.*

Capitulum constat 5 dignitatibus et 10 canonicatibus. Officium canonici theologi et poenitentarii non adest. Beneficiati minores non existunt.

56. *Exponatur quae sit dotatio Capituli seu beneficiatorum. In distributionum seu punctaturarum disciplina vigeantne et serventur regulae can. 395.*

Dotio canonicorum provenit ex „congrua”, et pro parte minore ex redditibus domorum.

Praescripta distributionum et punctaturarum observantur.

57. *Si adsint canonicatus aut beneficia patronata, curaveritne Ordinarius, et quo fructu, ut patroni spiritualia suffragia loco iuris patronatus, aut saltem loco iuris praesentandi, acceptarent, iuxta can. 1451.*

Canonicos ad praebendas fundationis Rudolphinae, exceptis dignitatibus, nominat Ordinarius, Gubernio praenotificato nomine candidati. Canonicos fundationis „Liechtenstein“ praesentat princeps Liechtenstein pro tempore regnans.

58. *Adsintne statuta iuxta cann. 410 et 416.*

Statuta adsunt anno 1844 approbata.

59. *Quot adsint canonici ad honorem; et serventur de ipsis regulae can. 406.*

Existunt 12 canonici honorarii, de quibus servatur can. 406.

60. *Sede episcopali vacante, quaenam vigeat ratio providendi dioecis regimini; servatane fuit, ultima vacationis vice, disciplina quam cann. 429-443 praescribunt.*

In ultima vacatione anno 1932 praescripta Codicis stricte servabantur.

61. *Dicatur aliquid de modo quo Capitulum sacras functiones peragit, quo se gerit erga suum Ordinarium, et de aliis quae ad eius bonum nomen pertinent.*

Generatim Capitulum sacras functiones bene peragit.

62. *Si adsint in dioecesi Capitula, praesertim insignia, vel Communiae cleri ad modum Capitulorum, Ordinarius de iis referat analoge ad ea quae pro cathedrali Capitulo sunt requisita.*

Alia Capitula non adsunt.

Caput IX.

De Vicariis foraneis et parochis.

63. *Referatur an Vicarii foranei adimpleant diligenter ea omnia quae can. 447 praescribit de vigilantia in ecclesiasticos viros sui ambitus seu districtus, de cura ut canonicae leges et decreta Ordinarii observentur, de aliisque; an paroecias juxta normas ab Ordinario datas visitent; et an quotannis rationem reddant Ordinario de statu sui vicariatus iuxta can. 449.*

Vicarii foranei bene suas obligationes implent et quotannis parochias visitant et referunt Ordinario.

64. *An paroeciae omnes de suo proprio pastore sint provisae; et servetne lex a can. 460 lata de uno dumtaxat pastore in unaquaque paroecia habendo, reprobata qualibet consuetudine et revocato quolibet privilegio.*

Can. 460 observatur; parochiae sunt provisae pastore proprio, exceptis iis, quae facile possunt provideri a paroco vicino.

65. *An adsint paroeciae amovibiles, quot, et qua de causa. An et quot unitae Capitulis sive cathedrali, sive collegiatis, domui religiosae, aut alii morali personae: et in hoc casu utrum serventur leges de vicario curato constituendo cum libero exercitio animarum curae iuxta statuta in cann. 415, 471 et 609 § 1. Et si religiosus sit parochus, an sarta tectaque sint quae Cann. 630, 631 hac de re praescribunt.*

Parochiae amovibiles non existunt; 130 parochiae sunt unitae religiosi domibus. Canones servantur.

66. *An et quot adsint patronatui obnoxiae; an et quo fructu cura fuerit Ordinario ut patroni spiritualia suffragia loco iuris patronatus aut saltem loco iuris praesentandi acceptarent iuxta can. 1451; sin minus, an in praesentatione servatae sint leges a cann. 1457 seqq. latae, ac maxime a can. 1452 in casu electionis seu praesentationis popularis.*

Patronatus iuris publici sunt 179 parochiae, iuris privati 225. Ad parochias iuris publici Gubernium e tribus candidatis praesentat illum, quem Ordinarius primo loco inter tres proponit. Servantur de cetero leges Codicis.

67. *An provisio paroeciarum quae sunt liberae collationis fiat per concursum, et qua ratione concursus celebretur. Can. 455 seqq.*

Omnium parochiarum provisio fit per concursum. Bis in anno examina locum habent. Sacerdotibus his examimibus approbati ad parochias vacantes possunt concurrere.

68. *Quibus redditibus parochi vivant, an ex immobilibus, ex publico foenore vel aerario, an ex incertis stolae, et fidelium vel dioecesis contributione. An commode generatim vivant, et an adsint qui egestate laborant. An domo propria paroeciali, saltem conducta eaque sufficienti, generatim instructi sint; et si non, an studium sit et probabilitas ut ea instrui valeant.*

Parochi vivunt partim ex immobilium redditibus, partim ex publico aerario; possunt honeste vivere, habent domus.

69. *An parochi generatim satisfaciant iis quae praescribunt: can. 463 § 4 circa gratuitum ministerium praestandum iis qui solvendo pares non sunt; can. 465 circa residentiam; can. 466 circa applicationem missae pro populo; can. 467 circa sacramentorum administrationem et animarum salutis zelum; can. 468 circa infirmorum curam; can. 469 circa vigilantiam ne errores contra fidem et vitia subrepan et circa opera caritatis, fidei et pietatis in paroecia instituenda et fovenda; can. 470 circa paroeciales libros recte conficiendos; circa exemplaria tradenda*

quotannis Curiae episcopali; can. 785 circa sacra olea a parochis loco decenti ac tuto custodienda.

Canones generatim observantur et etiam urgentur.

70. Circa baptismum: an quaelibet ecclesia parochialis sacro fonte sit instructa iuxta can. 774, et quoties infantes sine periculo aut gravi incommodo ad paroecialem transferri nequeant, an parochus ad proximiorum ecclesiam vel publicum oratorium pro sacramento ministrando ultro libenterque accedat iuxta can. 775.

Quaelibet ecclesia parochialis habet fontem baptismalem.

71. Circa SSmam Eucharistiam: an parochis cura sit studiumque indefessum ut, iuxta can. 863, fideles saepius et etiam quotidie pane Eucharistico reficiantur; ut iuxta can. 865 infirmi, dum plene sunt sui compotes, S. Viaticum suscipiant; ut iuxta cann. 1273, 1274 et 1275 cultus SSmi Sacramenti augeatur, excitando fideles ad quotidianam missae adsistentiam, ad visitationem serotinam peragendam, exponendo statis temporibus SSmam Eucharistiam, aliaque utilia peragendo; ut iuxta can. 854, servata quidem parentibus et confessariis debita libertate ad iudicandum de sufficienti puerorum dispositione ad primam communionem, iidem parentes ne negligant officium suum, et alii abusus ne subreant.

Semper in dies tendentia crescit eucharistica, praesertim in pueris. Ordinarius post congressum Viennae hoc autumno habitum iterum hoc suum desiderium urgebat, ut sacerdotes diligentius incumbant officio adducendi fideles ad sacram mensam et Eucharistiam colendam. Ad hoc inservit praeprimis docere fideles sacram liturgiam, et specialiter Missam, ut fideles sacram liturgiam unacum sacerdote sciant celebrare.

Laude dignus est apostolatus „liturgicus” pro populo a Canonica Claustro-neoburgensi inspirante R. D. Pio Parsch propagatus; qui fidelibus versiones textuum liturgicorum praebet ut cum maiore devotione, precibus communiter effusis, S. Missae sacrificium intelligant audire.

72. Circa extremam unctionem: an parochis cura sit, ut hoc sacramentum ab infirmis recipiatur dum sui plene compotes sunt.

Parochi sua officia bene implent.

73. Circa matrimonii celebrationem: an parochis omnibus cura sit diligens observandi quae praescripta sunt in Codice lib. III, tit. VII, circa libertatem status, impedimentorum dispensationem, sacros ritus, et adnotationem matrimonii.

Parochi saepe saepius a Curia instruuntur de hac materia.

74. Circa catechesim: an ab omnibus parochis diligenter servantur quae praescribit can. 1330 circa peculiarem catechismum pro prima confessione et communionem et pro confirmatione puerorum; et cann. 1331-1336 de catechismo diebus festis impartiendo tum pueris tum adultis.

In scholis publicis sacerdotes instructioni religiosae discipulorum inserviunt, eos specialiter praeparantes ad primam confessionem communionemque et ad confirmationem recipiendam.

75. Circa evangelii explanationem: an ab omnibus lex servetur can. 1344; circa sacras conciones: an statis quibusdam temporibus sacrae conciones frequentius habeantur ad normam can. 1346, et sacrae missiones locum habeant iuxta can. 1349.

Praescripta can. 1344 observantur; tempore quadragesimae et Mense Maio frequentiores conciones fiunt, et certis pro diversitate locorum distantis diversis sacrae missiones locum habent.

76. *An vicarii cooperatores aliique animarum curatores suis officiis laudabiliter fungantur iuxta can. 473 seqq.*

Vicarii, cooperatores et curatores animarum generatim bene funguntur officiis suis.

Caput X.

De religiosis.

77. *An Ordinarius sive per se, sive per alium, quinquennalem visitationem domorum religiosarum peregerit iuxta cann. 512, 513: et quae notabilia adnotanda habeat.*

Pro unaquaque sororum congregatione ab Ordinario commissarius nominatus est, qui nomine Ordinarii visitationes praescriptas debet peragere. Generatim Spiritus communitatum bonus dicendus est.

78. *Utrum religiosi, sive viri, sive mulieres, vitam communem ducant; an sint qui habitent soli, vel in domibus privatis cum saecularibus, et quo iure; quae sit in utroque casu eorum fama; quatenus pro dioecesi utilitas; an catechismum tradant, si Ordinarius requisierit iuxta can. 1334; quo habitu incedant.*

Generatim religiosi in vita communi vivunt. Clerus regularis ex omni parte sacerdotes saeculares adiuvant; religiosae in hospitalibus, in educatione puerorum et juvenum multum laborant.

79. *Si quaestuant adsint, sive viri, sive mulieres, an canonicae praescriptiones cann. 621, 622, 624 servaverint: an aliquod inconveniens acciderit, vel aliquid sit de hac re animadvertendum.*

Nihil accidit notandum; canones servantur.

80. *Si congregatio aliqua dioecesani iuris, vel societas sive virorum sive mulierum in communi sine votis viventium habeatur, Ordinarius de ea, aut de eis, nomen dicat, finem, sodalium numerum, utilitatem, et si quae alia observanda habeat.*

Iuris dioecesani sunt congregatio fratrum consolatorum de Gethsemane (fundata 1922), societas missionum Reginae Apostolorum (fundata 1923).

81. *Referat Ordinarius an aliquod offendiculum cum religiosis habeat in suae iurisdictionis exercitio.*

Offendicula quoad iurisdictionem exercendam notanda non sunt.

82. *Si adsint religiosi viri ordinibus sacris iam initiati, qui exclaustri, saecularizati aut dimissi a religione fuerint, referat Ordinarius quid de ipsis dicendum iuxta cann. 639, 640, 669 seqq.*

Praecepta servantur.

83. *De religiosis mulieribus in specie Ordinarius referat:*

a) *an observentur canonicae leges circa admissionem ad novitatum, professionem, clausuram, confessarios ac bonorum temporalium administrationem iuxta cann. 512, 513, 520-527, 533-535, 547, 549, 550, 552, 600-605;*

- b) si quae monasteria monialium superioribus regularibus sint subiecta, an in casibus a iure statutis Ordinario subdantur iuxta cann. 500 § 2 et 615;*
- c) quae vitae activae sunt quibus diversis operibus se addicant, et quo fructu;*
- d) si sint quae infirmis in privatis domibus adsistant, aut rem domesticam in nosocomiis, Seminariis vel similibus virorum domibus gerant, an cautum sit a periculis quae in his adiunctis obversantur, et an aliquid habeatur deplorandum.*
- a) Canonicae leges in omnibus bene observantur.
- b) Hae congregationes non existunt in dioecesi.
- c) cf. nr.78.
- d) Quaedam congregationum sorores etiam infirmis domi assistunt, mali vero eventus non sunt notandi.

Caput XI.

De populo fideli

84. Dicatur quinam sint generatim populi mores: quatenus vita christiana privata in familiis: quatenus publica in oppidis et civitatibus: an in externis pompis et solemnitatibus magis consistat, quam in vero pietatis spiritu. Et si sint differentiae notabiles unius loci ab alio, indicentur. Quid fiat ut christianae vitae professio, si paululum defecit aut a recta via declinavit, sensim reducatur.

Mores generatim inde ab immani belli fine semper meliores sunt facti, solummodo in civitate Viennensi uti in aliis mundi capitalibus morbi morales sunt deplorandi, sed apostasiarum numerus decrescit; cf. nr. 16.

85. Qua reverentia clericos, et maxime Episcopum et S. Pontificem, populus prosequatur. Can. 119.

Irreverentiae generatim decrescunt, etiam in civitate Viennensi et in vicis industrialibus.

86. Quae sit observantia: can. 1248 circa praeceptum audiendi sacrum et abstinendi ab operibus servilibus diebus festis; cann. 1252, 1254 circa abstinendam et ieiunium; can. 770 circa sollicitam baptismi collationem infantibus; can. 859 circa communionem paschalem: quot sint ex viris et ex mulieribus qui, cum sint professione catholici, nihilominus eam negligunt, facta proportione pro singulis centenis fidelium; can. 863 circa frequentem communionem; cann. 865 et 944 circa extrema sacramenta: an sint inter eos qui catholici censentur, qui haec sacramenta differunt, negligunt aut etiam recusant: et dicatur eorum numerus, habita proportione pro centenis; cann. 1203, 1239 seqq. circa cremationis reprobationem et funera: dicatur, servata proportione ut supra, quot ex iis qui catholici dicuntur funeribus mere civilibus seu irreligiosis sepeliantur: an id contingat ex nimietate taxarum stolae, an ex alia causa.

Praeceptum feriandi et Missam audiendi melius servatur, praesertim post novae legis circa festivos dies emanationem.

In praeceptis abstinendae et ieiunii larga indulta a Sancta Sede concessa sunt.

Infantes generatim quam primum baptizantur.

Sacramentorum frequentia ultimis annis aucta est, sed statistica adhuc non est perfecta.

Raro accidit, quod infirmi renuant ultima sacramenta.

Anno 1931 3703 cremationes fiebant, in quibus erant 2.124 catholici. 1.153 cadavera ante cremationem a sacerdote vetero-catholico benedicta sunt.

Taxae stolae non sunt excessivae.

87. *Circa matrimonium: an matrimonia mere civilia, concubinatus et divortia habeantur, et qua proportione; an vitia contra sanctitatem matrimonii irrepserint; quid fiat ut haec mala removeantur.*

Anno 1931 erant matrimonia mere civilian 6.101 (cf. etiam nr. 32); 4621 divortia matrimoniorum catholicorum.

Abusus matrimonii adsunt, sed difficile possunt tolli.

88. *Ubi catholici cum acatholicis mixti sunt, et mixta matrimonia habentur, dicatur numerus horum matrimoniorum tum absolutus tum relativus ad matrimonia non mixta: quatenus exinde detrimenta religioni proveniant: an serventur ab his contrahentibus clausulae can. 1061.*

Cf. nr. 32; cautelae urgentur.

89. *De christiana educatione prolis: quomodo generatim parentes et qui loco parentum sunt, in sinu familiae satisfaciant gravissimae huic obligationi, de qua cann. 1113 et 1372: et quae cura sit ne ab hoc officio fideles deficiant.*

Catholici generatim satisfaciunt praeceptis educationis christianae.

90. *De scholis: an in publicis scholis, praesertim elementaribus, servetur praescriptum can. 1373 de institutione religiosa puerorum. Et si non, qualibet de causa; an cura sit fidelibus et clero instituendi pro catholicis pueris scholas confessionales, eosque avertendi a scholis acatholicis, neutris, mixtis, iuxta can. 1374.*

In scholis elementaribus et mediis discipuli a sacerdotibus ad hoc delegatis in sacra religione imbuuntur, et quidem 2 horis in hebdomada.

91. *De conditione et statu scholarum confessionalium, praesertim elementarium, enucleate referatur: quomodo sustententur, a quot alumnis frequententur, qualique profectu. Et si scholae confessionales institui non potuerint, indicetur causa: et dicatur, an per varia opera post-scholastica, hoc est oratoria festiva, Congregationes Marianas, scholas catechisticas, aliisque modis, cautum pro viribus sit praeservationi puerorum et puellarum.*

Existunt nonnullae scholae confessionales diversi generis, quae sustentantur tum a congregationibus religiosis et stipendiis frequentantium, tum a societate scholis confessionalibus sustentandis (Schulverein). Hae scholae in bona aestimatione sunt.

92. *De religiosis et piis laicorum associationibus; an adsint in dioecesi tertii Ordines saeculares, et confraternitates, illae praesertim Ssmi Sacramenti et Christianae doctrinae, aliaeque piaee uniones potissimum pro iuvenibus: quo numero et quo religionis profectu.*

De fidelium associationibus, inter quas etiam confraternitas Sacratissimi Cordis Jesu, sollummodo id referendum est, quod nunc omnes adstringuntur, in parochia adlaborare ad vitam parochialem fovendam. Parocho duce omnes plus minusve pro diversis classibus debent inservire sacramentorum frequentiae, operibus caritativis et iurium catholicorum defensionis.

93. *An hae associationes servent omnes praescripta: can. 690 de subiectione erga Ordinarium; can. 691 de administrationis modo.*

Praescripta servantur.

94. *An adsint inter catholicos associationes illae, quae sociales vocantur, agricolarum, operariorum, mulierum in hunc vel alium caritativum finem, vel mutuuum subsidium; an asyla pro infantibus, patronatus pro iuvenibus, pro emigrantibus etc., circuli pro iuventute, laboratoria pro artificibus, vel pro puellis etc.: quo spiritu agantur: an directioni et moderationi Ordinarii et Apostolicae Sedis dociliter subsint: quatenus beneficia sive moralia sive temporalia praestent. Hae speciales associationes adsunt et sub regimine sacerdotum laborant.*

95. *An cura sit ut qui hisce associationibus sive religiosis et piis, sive socialibus adscripti sunt, in fidei doctrina instituuntur et christianam vitam ducant. Utique.*

96. *An et qua diffusione ephemerides vel diaria obscoena, irreligiosa, modernistica vel liberalia dioecesim pervadant: an libri quoque huius generis diffusi sint; quid fiat ad tantum malum coercendum et quo fructu.*

In civitate Viennensi hoc damnum deplorandum est, sed societas „Volkslesehalle“ multum laborat, ut fidelibus bonos libros, ephemerides et etiam filmes cinematographicos praeparet.

97. *An massonicae sectae addicti, vel etiam massonicae tabernae in dioecesi habeantur: quanta et quali activitate operam adversus religionem moliantur; quid fiat ad occurrendum huic malo. Pro tempore nihil certe dicendum est.*

98. *An socialismi societates habeantur: quot numero, quanti momenti et quali religionis noxa: et quid fiat ad hanc avertendam.*

Societates socialismi habentur, sed debet expectari tempus futurum. Mutatis rebus politicis occurrendum erit conatibus socialismi aliis mediis.

99. *Utrum in exercitio iurium politicorum et civilium fideles catholici religionis bono et ecclesiae libertati pro viribus consulant.*

Mutatione politica etiam hic novae viae incedendae sunt, quarum modus pro tempore nequit demonstrari.

Caput XII.

Judicium syntheticum Ordinarii circa dioecesis statum.

100. *Denique Ordinarius, omnibus in universum complexis, dicat, praesertim in prima sua relatione, quid actu sentiat de materiali et morali conditione dioecesis, quae spes melioris status affulgeat, quatenus maiora discrimina immineant.*

In sequentibus vero relationibus addat, quomodo et quo fructu ad effectum perduxerit monita et mandata, si quae S. Congregatio in sua responsione ad praecedentem relationem significaverit: et utrum progressus, regressus, an potius idem ferme persistens status in rebus fidei et morum haberi videatur in dioecesi: et quatenus de eo censeantur causae.

Crisis⁵ oeconomica uti speramus a Gubernio poterit superari, tunc etiam materiales Ecclesiae conditiones erunt meliores. Generatim debet dici ubique in dioecesi conatus et etiam primordia novae et pulchrae evolutionis esse agnoscenda. Magnum impulsus nobis praebuit congressus

⁵ Hier ist wohl ein *Si* ausgefallen.

Viennae nuperrime habitus, cuius fructus nunc debent conservari et propagari. Ad hoc Ordinarius specialem exhortationem habuit.

Viennae, die 22. Octobris 1933

+ Theod. Card. Innitzer
Archiepiscopus Vindobonensis